



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Quomodo per Pœnitentiam merita reviviscant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

tionis sit illa part. *Per accidens*, in presenti materia, praesertim cum illa apud suos Auctores tertio quoque die significationem mutet. Deinde generaliter illam particulam impugnatur. Qui quid enim illa vox significet, implicat contradictionem, poenam ut 4. debitam peccato A. ex conjunctione cum peccato B. fieri poenam ut 8. debitam peccato A. ultra debitam per se peccato B. ergo ly. *Per accidens* est merum vocabulum sine re. Antecedens patet, quia unumquodque peccatum etiam actuale tantum punitur secundum suam gravitatem, & malitiam: unde quando unum non est circumstantia augens malitiam alterius, vel accipiens ab alio augmentum malitiae, etiam conjunctum cum alio aequaliter punitur, & non plus quam puniretur non conjunctum. Ratio a priori est, quod mensura poenae infligendae pro delicto, sit sola gravitas delicti: unde conjunctio omnino per accidens unius delicti cum alio non augens malitiam unius, non augeat poenam illius. Quod si hoc accidit in peccatis actualibus concurrentibus, idem dicendum erit de peccato habituali jam dimisso quoad culpam, & perseverantem solum in debito poenae temporalis.

Secundo. Jus ad odium & inimicitiam natum olim ex peccato, neque per accidens resurgit, si semel dimissum fuit, ex conjunctione cum alio non dimisso: ergo neque jus ad poenam aeternam olim natum ex eodem peccato redibit ex conjunctione cum peccato non dimisso.

Tertio, vel Deus cum dimisit poenam aeternam, illam dimisit absolute, & donatione absoluta, vel tantum sub conditione: nisi homo iterum peccet. si dicas primum, est impossibile quod peccatum redeat quoad poenam aeternam, ut constat ex dictis: si dicas secundum, poena non redit per accidens, sed per se, sicut merita post recuperationem gratiae non obtinent premium per accidens, sed per se, ut dicam contr. seq.

Videamus jam explicationes illius particulae *Per accidens*. Primum ergo aliqui dicunt, ly *Per accidens*, significare, ratione fori in quo punitur. Sed contra urget iste Recentior. Illud forum nil est aliud quam divinum Judicium & tribunal: divinum autem Judicium ratione sui non potest punire hominem ultra illam poenam, cujus est dignus ratione sui, neque potest hominem semel factum liberum a poena aeterna, iterum facere obligatum aeternae poenae.

Alij rō *Per accidens* exponunt, ut idem sit, ac *Ratione status*. [Sed rogo, (subdit iste Recentior) quisnam fecerit illum iniquissimum statum? praeterea ille Status quid est aliud, aut quae praedicata & proprietates habet, nisi esse divinae Sententiae executionem justissimam? ergo cum dicis, reum per se, & ex se poenae tantum temporalis, fieri reum poenae aeternae ex solo decreto, & Sententia judicis, idem est ac dicere, Deum Sententiam suam decretoriā, & definitivā exigere poenam ultra condignum; Sententia enim condemnatoria Judicis, non facit hominem reum, sed supponit nec

confert illi dignitatem ad poenam, sed exigit poenam condignam, eam commensurando ipsi reo. Haec ille Recentior. Ego tamen existimo, quod illi qui ita respondent, aliud intelligant per *poenam status*, nempe Statum damnationis: dicit enim ideo redire poenam aeternam, quia cum reo justē sit damnatus ob peccata non remissa, hoc est, quod non sit dignus ullius poenae remissionis, & quia per accidens est, quod sit damnatus, hoc per accidens punitur poena aeterna propter peccatum remissum, cujus poena aliqua est remissa, sed contra. Quia hac explicatione non declinatur, quomodo non puniatur ultra condignum, sicut per accidens. Deinde poena temporalis non debet cessare per affectum Dei beneficium, sed cessat per satisfactionem absque liberali conatione: non est ergo opus aliqua dignitate, quae Deus respiciat in remissione debiti, sed solum sola potentia sustinendi poenam redendam.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo per Poenitentiam merita reviviscant.

952. **Q**ueritur, an per Poenitentiam ita possit reviviscant merita, ut quae praecesserunt, & erant facta in Statu Gratiae, adeoque an redeat, & restituatur omnis poena Gratiae habitualis, quam ille homo per peccatum mortale perdidit, & quidem non tantum poena quam acceperat ex meritis propriis, sed etiam quam acceperat sine propriis meritis, ut in baptismo.

Merita in aliquo sensu reviviscere certum est hodie apud Theologos, post S. Thomam. Verum in quo sensu, & cum quo effectu seu in rebus ad quem effectum ea redeant, est controversia. Reditus ergo meritum, praescindendo poenam modo & effectu, colligitur ex epist. ad Galatas. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, quod locum pro reviviscencia interpretatur PP. et passim apud AA. videri possunt, sicut & aliae probationes, ob quas censent DD. ad minimum temporarium futurum, reviviscencia meritum penitus negare. Quo autem modo, & in oculis ad quem effectum reviviscant, est discutendum, & deinde solvenda objectiones, ac reddenda ratio discriminis, cur merita reviviscant, non temporaria.

Prima Sententia fuit quorundam, merita tantum reviviscere in ordine ad aliquod gradum accidentale, quo gaudent beati de talibus meritis elicitis. Huic Sententiae adeo faver S. Thomas q. 89. a. 5. ad 3. ut Suarez existimet, cum non potest in bonum sensum explicari, quod an ita sit, ut discutiant. Sententia haec rejicitur ab contrariis.

Secunda Sententia est, reviviscere quidem merita in ordine ad premium substantiale, sed

precisè hoc sensu, quòd Gratia quæ datur intuitu operis iustificantis, v. g. intuitu Contritionis, detur non solum titulo & intuitu contritionis, sed etiam intuitu meritorum præcedentium in gratia factorum, licet nihil plus gratiæ detur quoad entitatem, ac daretur, si nulla opera præcessissent: adeoque reviviscencia meritorum erit sola multiplicatio tituli sine multiplicatione rei. Ità Dominicus Bannez, quem postquam non solum DD. nostræ Societatis, sed ipsi etiam Thomistæ apud Turrianum impugnassent, de novo tueri conatus est Thomas Hurtadus in suo Præcurfore Theologico, qui in hoc prælio adeo certus est de victoria, ut tandem Jesuitis claudat omnes scholas his verbis: *Valeat ergo schola Jesuitarum, & oret Deum, ut mentem D. Thomæ illis aperiat.* Verùm scholas Jesuitarum non ita clausas vult in hoc puncto Doctissimus P. Antonius à Spiritu S. Carmelita, editus hoc anno quo hæc scribo, in suo Directorio Confessoriorum, qui pro sententia Societatis stat, *tr. 4. d. 2. sess. 8. n. 85.* non alios citans quàm Jesuitas, Suarez, Ripaldam, Lugonem, Perez, Dicastillo, addens esse communem sententiam contra antiquos Thomistas: & in toto suo opere plerumque Societatis auctores dignatur allegare & sequi.

Tertia sententia est aliorum Thomistarum, aientium, restitui quidem gratiam aliquam ex ea quæ deperdita est per peccatum, sed non semper omnem, sed cum quadam proportionem ad præsentem dispositionem per quam iustificatur, quæ si v. g. est vt duo, restituetur gratia deperdita vt duo. alij hanc proportionem aliter accipiunt, vt videre est apud Suarez, Lugo & alios.

Quarta sententia est Scoti: restitui quidem totam gratiam, non tamen in hac vita, sed in altera primum cum gloria.

953. DICO 1. Merita non tantum reviviscunt ad gaudium accidentale. Probat. Si enim hoc sufficeret, etiam reviviscerent merita mortua, hoc est in statu peccati facta, quod dici non potest. sequela patet. Nam de his etiam gaudent beati, vt pote quibus meritis sæpe de congruo impetrarunt auxilia ad resurgendum: imò magis de his quàm de mortificatis quandoque gauderent, quia fortè plus utilitatis ad vltimum finem inde consecuti sunt.

954. DICO 2. Non rectè explicatur Reviviscencia meritorum per titulum multiplicem vt volebat Bannez, cuius sententiam duo Thomistæ celeberrimi gravi censurâ notarunt. Sotus dixit esse falsissimam, Ledesma erroneam. Suarez modestissimè dixit, eam esse improbabilem; quod agerrimè ferens Thomas Hurtadus exclamat nescire se, quâ fronte dixerit improbabilem.

Probat. Conclusio 1. Ex Trid. sess. 6. Et primò quidem ex Canone 32. vbi expressè ad augmentum gratiæ per merita duo solummodo requirit, scilicet, vt sint facta in gratia, & vt homo in gratia moriatur: atqui vtraque conditio im-

pletur in nostro casu: ergo dabitur augmentum Gratia pro meritis præcedentibus. ergo merita præcedentia non erunt merus titulus, sed habebunt suum fructum distinctum à fructu aliorum operum.

Secundò, eadem sessione cap. 6. docet Tridentinum, quomodo debeat hominibus iustificatis ad eorum consolationem & stimulum inculcari bonorum operum in gratia factorum utilitas, his verbis. [Iustificatis hominibus siue acceptam gratiam perpetuò conservaverint, siue amissam NB. recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.] Quòd si quis concionator huic exhortationi adiceret explicationis loco & diceret: [Hæc tamen ita intelligatis velim, quòd Gratia amissa non quidem reipsa recuperetur, sed quòd ex operibus quibus illam promeriti eratis, nihil aliud redeat præterquam titulus] nunquid hic talis frigidam affunderet, potius quàm fervorem excitaret?

Tertiò, idem Tridentinum can. 6. sic loquitur: [Nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur.]

Probat. 2. Ex absurdo. Si enim merita possunt dici reviviscere precisè ideo, quòd præstent titulum distinctum ad gratiam pro alio opere posteriore dandam, nulla ampliùs ratio superest ad probandum, quòd, si homo semper in gratia perseveraret, & continuò se bonis operibus exerceret, quòd, inquam, talis per singula opera novum gradum Gratia & physicum augmentum acciperet, sed dici posset, posteriora merita esse tantum novos titulos, ex quibus prior gratia conferretur. Ratio est, quia Reviviscencia priorum meritorum aliud non est, quàm eorundem additio seu accessio ad opus illud per quod reviviscunt: ergo si accessio priorum operum ad posteriora plus non dicit quàm titulum, neque accessio posteriorum ad priora plus dicit quàm titulum.

955. DICO 3. Merita reviviscunt quoad totam Gratiam, quæ per peccatum subsequens erat deperdita, siue deinde restituitur eadem formalitè & realitè, siue alia æquivalens omnibus gradibus per peccatum amissis. Probata satis est conclusio ex dictis, & quia nullum penitus fundamentum est restringendi ad certam proportionem. Nam quod supponunt Thomistæ, per actum remissiorem non posse augeri Gratiam intensiorem præexistentem, rejectum est in tract. de Merito, vbi etiam probatur, gratiæ collocationem non differri in alteram vitam.

eam vitam.

Solutio

*Solvuntur Objectiones, & explicatur Ratio
fundamentalis Reviviscentia.*

956. **O**bjicies 1. Si restitueretur Gratia deperdita, vel hoc faceret Deus ex Justitia vel ex liberalitate & misericordia; neutrum dici potest. non primum, quia in nostris principiis Deus non potest obligari ex Justitia. Non secundum, quia sic hæc restitutio non tribueretur meritis præcedentibus, quod est contra Tridentinum.

✱. Deum restituere omnem gratiam deperditam ex Justitia Providentiali, hoc est, juxta exigentiam Gratia de novo concessa. Declaratur. Gratia de novo data constituit hominem verum amicum Dei: atqui de ratione amicitia est, amicum non punire æternum per diminutionem dilectionis propter offensas dimissas; puniretur autem amicus à Deo æternum diminutione dilectionis & felicitatis, hoc est, carentia illius gratia, quam per peccatum deperdidit, & quam si haberet, magis diligeretur, & gauderet beatitudine majore. Porro privationem Gratia esse pœnam peccati certum est, quia gratia expellitur demeritorie per peccatum, & est terminus odij divini. Vnde rectè infert P. Esparza, quod si Deus non restitueret pristinam gratiam propter peccata præterita, adhuc secundum quid odisset hominem, & non amaret simpliciter, amor enim simpliciter excludit omne odium, & effectum procedentem ex odio.

Dices. Gratia non tantum expellitur in pœnam peccati, sed etiam quia peccatum est forma contraria: ergo licet privatio Gratia non debeat durare in ratione pœna, poterit tamen durare, quatenus est expulsa per formam contrariam: v.g. quando per nigredinem expellitur albedo, manet privatio albedinis, etiam si tollatur nigredo, si non adsit causa productiva albedinis. ✱. Peccatum non esse formam contrariam Gratia nisi in ratione offensæ moventis ad odium, & mediante odio expellitur gratiam, & causat privationem Gratia, dependentem semper & continuè ab odio divino: quare privatio Gratia præcisè durat in ratione pœna, & tanquam effectus necessariò connexus saltè connaturaliter cum odio, quo proinde per amorem sublato tollitur etiam privatio Gratia, adeoque redit gratia.

Dixi, restitutionem Gratia deperditæ in Justificatione esse juxta Exigentiam Gratia. An autem hæc Exigentia sit dispensabilis, vel indispensable, adeoque, an etiam posita novâ post lapsum amicitia possent merita præcedentia non reviviscere per absolutam Dei potentiam, nec deperdita Gratia redire, non est certum. Recentior Hispanus ait sibi ex terminis notum esse, quod etiam ex suppositione restituta amicitia, Deus non teneatur hominem restituere omnino & quoad omnia in illum statum pristinum quem habuerat, antequam in peccatum prolaberetur: vnde concludit, quod sit nova liberalitas, & beneficium di-

stinctum à dono Iustificationis, & nova gratia reviviscentia meritorum. addit tamen, quod et amicitia in quem homo recipitur. Quia secundum D. Thomam amicitia habet duos motus voluntatis, alterum indirectum, alterum proinde ad hunc secundum motum pertinet pro amicitia pati & facere, quidquid secundum regulam prudentia hic & nunc possibile est, & rationem requirere, quibus amicus magis astringatur amari, & quod Deus antecedentia amici merita & labores pro ipso toleratos in memoriam revocet, & ipsos statuatur remunerari, est possibile hic & nunc secundum regulas prudentia, & maxime decens liberalissimum amicum, & infinitè diutem qualis Deus est.

Mihi tamen tum ob rationem antea positam ob alia principia alibi stabilita, magis videtur dicendum cum Cardin. Pallavicino & Eftio. Reviviscentiam meritorum esse metaphysicè necessariam, supposita restitutione amicitia, & gentiam illam Gratia esse indispensablem, hoc videtur insinuare S. Paulus dicens. *Non iniustus est Deus, ut obliviscatur opera vestra, dilectionis, &c.*

957. **O**bjicies 2. Peccata non reviviscunt, ut in præcedentibus dictum est: ergo nec merita. Probat consequentia. Sicut peccatum tollitur per Justificationem, ita & merita tolluntur per peccatum. ✱. 1. Negando paritatem. Nam, ut ostendimus, per Justificationem tollitur aliqua pars constitutiva peccati habitualis, quæ non potest redire: per peccatum verò nulla pars meriti tollitur, sed tantum ejus vis impeditur, & tollitur effectus illius: ipsum autem meritum semper manet in memoria Dei. ✱. 2. Negando paritatem etiam ex alio capite. quia de ratione amicitia est, non punire in æternum: non item de conceptu inimicitia est odisse ex omni causa & titulo, qui aliquando præcessit & est condonatus: imò est contra rationem condonationis absolute, iterum ob eam titulum odisse.

Objicies 3. Ex eo quod Scriptura dicit Ezech. 18. *Si impius egerit penitentiam, omnia iniquitatum ejus non recordabor, inferimus, quod peccata non reviviscant: ergo cum ibidem dicatur de Justo, quod si peccaverit, non recordabor iniquitatis præcedentis, debet pariter inferri, non reviviscere merita.* ✱. Negando consequentiam: quia Scriptura loquens de oblivione peccata Dei, debet intelligi juxta capacitatem circa quam versatur: est autem diversa capacitas peccati & meritorum, ut ostensum est.

Objicies 4. Si per gratiam subsequenter possunt opera mortificata reviviscere, possunt etiam opera mortua, hoc est, quæ nunquam vivunt, quia facta sunt in peccato mortali, reviviscere: consequens est falsum, ergo, &c. Sequitur probatur, quia facilius est aliquid reviviscere, quam occisum vitæ restituere. ✱. Negando sequentiam, & ad probationem negatur suppositum, scilicet, quod

quod mortificatio operum sit eorundem occisio seu omnimoda extinctio; est enim tantum positio obicis & impedimenti, quominus conservent & obtineant suum primum, quo obice remoto dicuntur reviviscere, sicut qui tristitia impeditur ne sumat cibum, remota tristitia dicitur reviviscere.

98. Obicies 5. Conceptus amicitiae non tollit reatum poenae temporalis: ergo nec tollit conceptum alicujus poenae aeternae, quae non sit omnimoda privatio beatitudinis. R. 1. Poenam temporalem residuam respondere peccato non secundum formalitatem offensae, & prout opponitur amicitiae, sed secundum formalitatem transgressionis legis, & prout respicitur à Iudice & Iustitia vindicativa legum, prout dixi tract. de Incarn. statim ab initio: ergo non est mirum quod per reasumptionem ad amicitiam non tollatur. R. 2. Praescindendo ab hac doctrina, negando paritatem; nam poena temporalis quae remanet etiam post peccatum dimissum, non arguit odium in infligente, quia non infligitur cum intentione privandi aliquo gradu felicitatis aeternae, sed potius cum intentione conferendi per totam aeternitatem omnem gradum felicitatis essentialis, quem habuisset, si nunquam peccasset; & insuper poenae temporalis composibilitas cum amicitia erat necessaria, ut amicus absterreatur à levibus offen-

sis, & stimuletur ad satisfaciendum pro poena residua post peccatum dimissum, ut supra dictum.

Obicitur 6. Deus & Natura in subiecto disposito producant formam pro mensura dispositionis praesentis: atqui si merita reviviscerent, saepe produceretur gratia longè excedens praesentem dispositionem, quae quandoque ad justificationem sufficit, etiam remississima: ergo merita non reviviscunt adequatè, sed cum aliqua proportionem ad praesentem dispositionem, ut volunt Thomistae. R. Nego minorem. Nam quicunque gradus actus justificativi est sufficiens dispositio moralis & meritoria ad adequatam reviviscenciam, ob rationes allatas; nec debet haec moralis dispositio quoad intensionem comparari cum dispositione physica, ut dictum in tract. de Merito.

Ex dictis colligitur, non rectè Vasquezium restrinxisse Reviviscenciam ad illas gratias, quas homo obtinuit per propria merita, sed extendendam etiam esse ad illas, quas accepit ex meritis Christi per Sacramenta sine suis meritis. Nam semper militat ratio allata, quod alioquin Deus adhuc practice recordaretur peccatorum, quorum intuitu abstulit illam gratiam, eamque nollet restituere. Atque haec de Virtute Poenitentiae.

